



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Aqvæ Vitæ, De Fontibvs Salvatoris. hoc est, Doctrina  
Evangelica De Meditatione mortis**

**Kispenning, Henricus**

**Antverpiæ, 1583**

Aduersus vitæ præsentis dulcedinum, Testimonia sacræ Scripturæ. ij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46214)

Aduersus vitæ præsentis Dulcedinem : Testimonia  
S. Scripturæ.CAP. II.  
Iob 7.

S. Iob. *Militia est, inquit, vita hominis super terram: & sicut dies mercenarij, dies eius. Sicut seruus desiderat umbram: & sicut mercenarius præstolatur finem operis sui: sic & ego habui menses vacuos, & noctes laboriosas enumeravi mihi. Si dormiero, dicam: Quando consurgam? Et rursus expectabo vesperam: & replebor doloribus vsque ad tenebras.*

Iob 14.

*Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miseriis. Qui flos egreditur & conteritur, & fugit velut umbra, & nunquam in eodem statu permanet.*

Psal. 39.

David Rex & Propheta. *Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi. Et exaudiuit preces meas, & eduxit me de lacu miserie, & de luto fecis.*

Psal. 114.

*Conuertere anima mea in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi. Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapsu. Placebo Domino in regione vinorum*

Eccles. 2.

Salomon Rex. *Cuncti dies hominis doloribus & arumnis pleni sunt.*

Eccles. 40.

Sirach. *Occupatio magna creata est hominibus, & iugum graue super filios Adam, à die exitus de ventre matris eoru, vsque in diem sepulture in matrem omniu.*

Esa. 24.

Esaias Propheta. *Formido & fovea, & laqueus super te, qui habitator es terre.*

Ex nouo Testamento.

Rom. 7.

Paulus Apostolus. *Scio quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum. Nam velle adiacet mihi: perficere autem bonum non inuenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum hoc ago. &c. Infœ-*

lix

lix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?

Caro concupiscit aduersus spiritum: spiritus autem aduersus carnem. Hæc enim sibi inuicem aduersantur: ut non quacunque vultis illa faciatis. Gal. 5.

Confortamini in Domino, & in potētia virtutis eius. Ephes. 6.  
Induite vos armaturam Dei: ut possitis stare aduersus insidias diaboli. Quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem: sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in caelestibus.

Petrus Apostolus. Charissimi obsecro vos tāquam aduenas & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desideriis, qua militant aduersus animam. 1. Pet. 2.

Pia D. Cypriani Episcopi & Martyris Admonitio.

**M**eminisse debemus voluntatem nos non nostram, sed Dei facere debere: secundum quod nos Deus CAPVT III.  
quotidie iussit orare. Quam præposterum est, quamq̃ peruersum, ut cum Dei voluntatem fieri postulemus, quando euocat nos & accersit de hoc mundo Deus, non statim voluntatis eius imperio pareamus. Obnitimur & reluctamur, & pernicacium more seruorum ad conspectum Domini cum tristitia & mærore perducimur, exentes istinc necessitatis vinculo, nõ obsequio voluntatis: & volumus ab eo premiis caelestibus honorari, ad quem venimus inuiti? Quid ergo rogamus & petimus, ut adueniat regnum calorum, si captiuitas terrena delectat? Quid precibus frequenter iteratis rogamus & petimus, ut acceleret dies Regni, si maiora desideria & vota potiora sunt, seruire istic diabolo, quam regnare cum Christo? Potius mente integra, fide firma, virtute robusta, parati ad omnem voluntatem Dei simus: pauore mortis excluso, immortalitatem, qua sequitur, cogitemus. Hoc